



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

V. De aliis mendis Gratiani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

tianum, esset Musitanam.] Et in margine: *Ans. l. 6. c. 108. Poly. l. 3. tit. 30.*

18 Capitis 42. *Inolita. II. q. 1.* hæc est in eodem libro inscriptio: *Item ex Concilio Milevitano.* Et in margine: *In Tolet. 3. c. 13.* Et in Notis: *In Concilio Milevitano, quod habetur, nihil tale extat. Ex ipso tamen citatur etiam ab Innocentio III. in c. Si diligenti. de foro compe. Habetur autem in Toletano 3. c. 13.* Et in eadem causa quæst. 2. c. un. *Quod verò culpa illa suspensione digna sit, ex capitulo illo Milevicani Concilij liquido constat.* Et in margine: *Suprà q. 1. Inolita.* Varietas numeri capitum quæst. 1. oritur ex cap. 10. *Si quis clericus.* quod in libro meo est undecimum. Nam decimum est, *Episcopus non flagitetur.* quod in Romano est pars cap. 9. *Testimonium.*

19 De consecrat. distin. 4. cap. 44. *Ab antiqua* in libro Romano hanc habet inscriptionem: *Item Gregorius Quirino Episcopo & ceteris in Iberia Episcopis, l. 9. ep. 61.* Et in Notis: *Iberia*] *Sic emendatum est ex originali manu scripto Vaticano. Antea erat Hibernia.* Et in margine: *Poly. ibid. (hoc est, l. 3. tit. 10.) Ivo p. 1. 153. Pann. l. 1. c. 88.* Et in eodem capite: *Monothelitas verò & alios &c.* In Notis hæc sunt: *In originali & in Polycarpo & apud Iwonem in textu est, Monophyfitas. De qua hæresi scribit Iohannes Damascenus in libro de duabus Christi voluntatibus & Nicephorus & alij. Sed ob glossam non est mutatum.*

DE ALIIS MENDIS GRATIANI.

Dialogus quintus.

A. Nihil magnum veteres Romani, nisi auspiciatò, inchoare solebant, non solùm in bello, sed in pace, tam publicè quàm privatim. In eo cæci fuerunt; quòd

auxilia & signa ab avibus, à canibus, à deorum simulacris petebant; tamen, natura duce, Dei auxilium petebant. Nobis nihil agendum Paulus præcipit nisi in nomine Domini. Auspicato igitur hodie à Petro, & Paulo principibus Apostolorum Dei incipiamus. Gelasij verba sunt apud Gratianum Distinct. LIV. *Magnis quippe studiis secundum beatum Petrum Apostolum præcavendum est ne fides & disciplina Domini blasphemetur.* Ubi Petrus hoc dixerit ignoro. Sed Paulus priori ad Timotheum epistula cap. VI. id scripsit. Et vidi in veteribus libris prima littera hæc nomina conscribi. Ita *P. Apostolum* scriptum olim fuisse, postea *Petrum Apostolum* credo. Fons est Gelasij epist. I. cap. XVI. ut notat Demochares. Ivo vocem *Petrum* omittit, licet in margine habeat *Petri epist. II. cap. II. & Pauli ad Roman. cap. II.* Si Petrus id dixit, nihil mutandum erit. Si non dixit, aut *Paulus* scribendus erit, aut vox *Petrus* delenda. B. Selecti viri tollunt vocem *Petrus*, & in margine addunt *I. Tim. VI.* ubi pars verborum Gelasij invenitur. ¹ A. Isidori locus sequitur apud Gratianum: *Nam sub Octaviano Cesare suffecti Consules Papius & Pompeius legem tulerunt quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia.*] Poppæus pro Pompeius, Poppæa pro Pompeia scribendum est ex fastis capitulinis & variis scriptoribus, ut in legibus scripsimus. Idem Contius notat. ² Pompeio victo Renaldus vincendus est, cujus mentio fit in concilio Triburiensi,

Dist. 34. c.
12. Generalis.

Ivo par. 6. c.
100. decr.

Dist. 2. c. 76
quædam.

17. q. 4. c. 26
omnes.

apud Gratianum in Paleæ nomine additis, *Omnes*, inquit, *Presbyteri interfectores compositione Episcopi ad cuius parochiam pertinent solvantur, ita videlicet, ut medietatem Renaldus Episcopus ejus utilitati Ecclesie cui profuerit tribuat.* B. Hic Renaldus Episcopus est, facile à te vincetur. A. Quid si vobis vocem aliam Renaldo fortiorem substituam? B. Quænam ea est? A. Uvirigildi. C. Estne hoc Episcopi nomen? A. Non est, sed compositionis. Apud Burchardum lib. vi. cap. xi. ita est: *Presbyteri interfecti compositione Episcopo ad cuius parochiam pertinebat solvantur, ita videlicet ut medietatem Uvirigeldi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesie cui profuit tribuat.* Eisdem verbis utitur Ivo parte x. c. cxl. decret. & Bernar. Papien. cap. ii. de pœnis in prima collectione decretalium. Sed Gregorius IX. eam vocem noluit repetere, compositionis voce contentus. Ex his & aliis, quæ in Capitularibus Caroli & Ludovici leguntur, pro illis verbis *Omnes Presbyteri interfectores compositione Episcopi &c.* scribo *Omnes Presbyteri interfecti compositiones Episcopo solvantur,*³ De Sacratio Rege Arragonum sub Hormisda Papa, quod Renaldi fabulis simile videtur, aliquid dicamus. Apud Gratianum caussa xxxi. quæstione secunda post Hormisdæ caput legimus: *Item Sacratio Regi Arragonum. De neptis tue conjugio &c.* Apud Ivonem in Panorma eadem verba sunt, non tamen post Hormisdæ verba, sed post Urbani; quæ etiam Gratianus refert ante

c. 2. de pœnit.
Capit. lib. 4.
c. 15.

31. q. 2. c. 2.
& 3.

Ivo lib. 6. tit.
8. c. 8. pano.
c. 1. d. q. 2.

ante Hormisdæ epistolam. Apertius idem Ivo parte *ix.* decret. *Urbanus Satino Regi Arragonum.* In libro Cæsaraugustano Carthusianorum, qui Hieronymi Zuritæ fuit, rectè est: *Urbanus secundus Sanctio Regi Arragonum.* Errati occasio fuit quòd Palea Hormisdæ caput inseruit inter duo Urbani rescripta. C. Hoc idem Didacus Cobartubias Segobiensis Episcopus divinaverat. A. Gaudéo nos idem dicere, quos veri inquirendi studium conjunxit & amicitia non vulgaris. ⁴ In Sisebuti vel Sisenandi Regis Hispaniæ nomine sæpe erratum invenio. Distinct. quadragesima quinta cap. v. ex concilio Toletano *iv.* cap. *lvi.* (Demochares etiam notat) temporibus religiosissimi Principis Zizebuti. Scribo *Sisebuti.* Quidam *Sisenandi* scribunt, ut Burchardus *a* & Ivo. *b* quæ varietas in Conciliorum libris est. Item de consecratione distinct. *iv.* cap. *xciv.* *c* quod dicitur esse ex Toletano Concilio quinto. sed ex Toletano quarto cap. *lix.* est Demochari. Illic ita scriptum est: *De quibus consulti piissimi ac religiosissimi domini nostri Sifemundi Regis hoc sanctum decrevit Concilium.* in margine Sigismundi nomen est. Apud Burchardum *d* consultu pro consulti est aptius, & *Sisenandi* pro *Sifemundi.* item apud Ivo- nem in panormia. *e* sed in decretis *consultum* & *Sifemandi* habet non rectè. ⁵ C. Quinam hi Reges fuerunt Sisebutus & Sisenandus? A. Hæc alio die accipies. Hoc tantum scire hodie potes, Sisebutum cœpisse anno secun-

D

Ivo par. 8.
c. 24. decret.
Casar. lib. 10.
c. 14.

lib. 4. c. 11.
var. resol.

Dist. 45. c. 5.
De Judæis.

a Burch. libro
4. c. 82.
b Ivo lib. 1. tit.
2. c. 65. panorm.
c par. 1. c.
276. decret.
c De consec. d.
4. c. 94. Pleriq

d Burch. libr.
4. c. 85.

e Ivo lib. 1.
tit. 2. c. 68. pa-
norm. c par. 1.
c. 279. decret.

do Heraclij Imperatoris, & sub eo Hispalense concilium habitum anno Christi DCXIX. Sisenandum cœpisse an. DCXXXI. duobus Regibus interpolitis Reccaredo minore. & Suinthila, qui a Concilio Tolerano quarto, de quo agimus, damnatur. Id habitum est Concilium anno tertio Sisenandi. Ex quo fit ut cap. LVI. rectè *Sisebutus* scribatur, at cap. LII. *Sisenandus*. C. Eratigitur tunc vivus Sisenandus, mortuus Sisebutus. A. Ita est. De Gelasij verbis nunc agemus: *Ita nos Syllanorum cades geminata Pontificum horrendi criminis atrocitate confudit.* Qui Syllani Pontifices fuerint non inveni. Apud Ivonem Carnotensem ita scriptum est: *Gelasius Majorico & Joanni Episcopis: Ita nos quidem Latinorum cades geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit.* Apud Anselmum Lucensem hæc leguntur: *Gelasius Papa: Ita nos Scyllacorum sedes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confundit.* In his verbis *sedes* pro *caedes* non rectè est. At de voce *Scyllacorum* considerandum. Est enim urbis nomen Scyllacæum. Credo fuisse duos Episcopos ejus urbis occisos Gelasij temporibus. Theodori Mopsuesteni in quinta synodo damnati mentionem fecimus. In eadem synodo Theodoriti scripta contra Cyrillum Alexandrinum damnata sunt. Id Gregorius apud Gratianum distin. xv. cap. II. refert. sed non Theodoriti nomen editum est, sed Theodori. Videndus Gregorius lib. I. epist. xxiv.

25. q. 2. c. 25.

Ivo par. 10.
c. 18. decr.

Anf. lib. 6. c.
140.

Dist. 15. c. 2.
sicut sancti.

registri, & Gregorius VII. lib. IIX. epist. I. registri, & Ivo, f & liber Cæsaraugustanus g & Tarraconensis h 7 Non omnium librorum erratum est, sed paucorum, quod ex ecclesiastica historia Rufini lib. ult. cap. XIX. sumitur: i *Cùm apud Theſſaloniam ſeditio eſſet exorta &c.* Scribendum *Theſſaloniam.*

Et apud Ivonem k, ex Paulino in vita beati Ambrosij: *Caussa Theſſalonensis civitatis non minima tribulatio ſucceſſit Ambrosio.* Scribe *Theſſalonicensis.* Videndus idem Ivo l capite huic eidem proximo ex historia tripertita sumpto. 8 Postremo m Gregorij verba sunt lib. II. epist. xxxv. ut Antonius Demochares notat, vel ut aliis placet, Joannis Diaconi in vita beati Gregorij lib. III. cap. xiv. qui refert Gregorij epistulam ad Joannem Episcopum Veliternum: *Ideoꝛque fraternitatis curam gubernationemque Treverensium Ecclesie prævidimus committendam.* Pro *Treverensium* scribo *Trium tabernensium.* quod rectè apud Joannem Diaconum editum inveni. Etenim non longè fuerunt Tres tabernæ à Velitris urbe. Et sic Anselmus habet lib. v. cap. xxiv. quamvis liber Cæsaraugustanus Gratiani scripturam confirmet. 9 Hæc in adversariis de Gratiani erratis ordine litterarum in propriis nominibus. B. Multò his plura colligere posses, si velles. & ut aliud ex alio, in Pontificum Romanorum nominibus maximè Gratianus aberrat. ut cùm Anicetus ab eo appellatur Anitius, Miltiades Melchiades, Xystus, Sixtus, Anteros

f Ivo par. 4. c.
117. decret.
g Cæsar. lib.
I. c. 36.
h Tarr. lib. 1.
c. 14c.
i 11. q. 3. c. 69.

k Ivo par. 10.
c. 48. decret.

l Ivo c. 47. e.
par.

m 16. q. 1. c.
49. Postquam
Cæsar. lib. 7.
c. 35.

Autherus, Callistus Calixtus, Celestinus Celestinus, Hyginus Higinus, Zosimus Sozimus aut Zozimtis; Zephyrinus Zepherinus. Ita etiam in nominibus Conciliorum, cum Nannetense concilium vocat Ananetense vel Manetense vel Navatense, Ancyratum vocat Anquiritanum vel Ancyritanum vel Anquirense, Arausicanum Arausicense, Cabilonense Bylonense, Epanense Epanense, Hispalense Bispalense vel Spalense, Matifconense Maticense, Vormaciense Vvarmatiense. A. Hi non Gratiani errores sunt; sed illorum temporum. Sic in Conciliis edi solitum est. Sic habent Burcharus, Ivo, & Anselmus, & ceteri collectores. ¹⁰ B. Habeo alia majora crimina, an errata dicam; quæ si pateris, in medium proferam. A. Hodie id fieri non sinam; cras ad clepsydram Gratianum accusare poteris.

ADDITIONES.

IN editione Gregoriana cap. 12. *Generalis. distin. 54.* hæc verba sunt non longè à fine: *Magnis quippe studiis secundum beatum Apostolum præcavendum est ne fides & disciplina Domini blasphemetur.* Et in margine: 1. ad Tim. 6. & 2. Pet. 2.
 2. Distin. 2. cap. 6. *Quadam.* in eadem editione his utitur verbis: *Nam & sub Octaviano Cæsare suspecti Consules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papiæ Poppææ.* Et in Notis hæc sunt: *Antea legebatur Papius & Pompejus, & paulo post Papiæ & Pompejæ. Emendatum est ex manuscriptis exemplaribus Isidori. Nam in impressis notaverat errorem Alciatus lib. 3. disp. c. 3. In tabulis autem Capitolinis anno urbis DCCLXI. est*

DIALOGUS QUINTUS. 55

Kal. Iul. suffecti Consules numerantur M. Papius & Poppaeus. Varietas numeri capitum hujus distinctionis cum meis dialogis oritur ex capite primo, quod mihi est initium distinctionis, sumptum ex verbis Isidori, Ejus non habetur ratio in eo libro Romano.

3 In eodem libro caput 26. Omnes. 17. q. 4. ita scriptum est: *Item ex eodem (hoc est, Triburiensi Concilio) c. 5. Palea. Omnes Presbyteri interfectores compositione Episcopo, ad cujus parochiam pertinent, solvantur; ita videlicet ut medietatem Vuirgildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesia, qui praesuit, tribuat &c.* Et in margine: *Al. Vuirgildi. Et: Capitulum. l. 4. c. 15. ext. de poenis c. presbyteri. Burc. l. 6. c. 11. Ivo p. 10. c. 140. Pann. l. 8. c. 6. Et in Notis: Hæc quoque Palea in uno tantum Vaticano codice habetur. Est autem in Capitularibus (unde citatur in Pannormia) li. 4. c. 15. & in Decretalibus tit. de poenis c. presbyteri. In Concilio etiam Triburiensi, quod extat, c. 4. habetur quiddam simili. Et postea: Interfectores] Sic etiam in Pannormia. Vaticanus codex habet interfecti. In Capitulari legitur: Presbyteri interfecti Episcopo ad cujus parochiam pertinent solvantur secundum Capitulare gloriosi Karoli genitoris nostri; ita videlicet &c. Verum in Decretalibus & apud Burchardum & Ivonem hoc modo: Presbyteri interfecti compositione Episcopo ad cujus parochiam pertinebat solvantur, ita videlicet &c. Et similis locutio habetur in Concilio Triburiensi c. 4. Sed quoniam est initium capituli, nihil visum est hic mutandum. Reliqua autem sunt emendata ex locis indicatis. Et postea: Vuirgildi] Antea legebatur Renaldus. Emendatum est ex ceteris locis indicatis, praterquam ex Decretalibus, unde abest utraque vox. Legitur tamen in prima collectione. Caput 2. de poenis in editione Romana ita scriptum est: *Ex Concilio Triburiensi. Presbyteri interfecti compositione Episcopo ad cujus parochiam pertinet solvatur, ita ut medietatem &c.*] In margine: *Est in Concilio Triburiensi sub Arnulpho Imperatore c. 4. Sed aliis verbis referunt Burchardus lib. 6. decret. c. 11. Ivo par. 10. c. 140. & Gratian. sive**

Palea 17. q. 4. c. Omnes Presbyteri.]

4 Capitis tertij *De Neptis*. 31. q. 2. in eodem libro inscriptio est: *Item Vrbanus secundus Sanctio Regi Aragonum*. Et in Notis: *Sanctio*] *Sic est emendatum ex vetustis exemplaribus, Pannormia, & historiis Regum Aragonum*. Nam antea erat *Sacratio*.] Et in margine: *Ivo p. 8. c. 24. Pann. l. 6. 109. Capitis 2. Tua*. ejusdem quæstionis hæc inscriptio. [*Econtra Hormisda Papa scribit Eusebio Episcopo*.] *Palea*. Et in Notis: *Palea hæc in Decretalibus est c. 1. tit. de despon. impu.* Et in vulgatis quidem citatur ex *Honorio*; sed in prima Decretalium collectione ex *Hormisda*, ut hic. Ejusdem cap. 1. de despon. impu. in eadem editione inscriptio est: *Hormisda Eusebio Episcopo*. Et in margine: *cap. 2. eod. tit. in 1. compil.*

5 *Distin. 45. cap. 5. De Iudæis*. in eodem libro ita inscribitur: *Vnde in Concilio Toletano 4. c. 56. statutum est*. In eodem ita legitur: *Sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti*. Et in margine hæc sunt: *Burch. l. 4. c. 82. Ivo p. 1. c. 276. & par. 13. c. 94. Pann. l. 1. c. 72. Capitis 94. Plerique de consecr. dist. 4. inscriptio est: Item ex Concilio Toletano 4. c. 58. In eodem hæc verba sunt: De quibus consulto piissimi ac religiosissimi Domini nostri Sifemundi Regis &c.* Et in margine: *Burch. l. 4. c. 85. Ivo p. 1. c. 279. Pann. l. 1. c. 75. Scribi debuit Sifemundi pro Sifemundi.*

6 Inscripção cap. 25. *Ita nos. 25. q. 2. in libro Romano hæc est: Vnde Gelasius Papa scribit. Et mox: Ita nos Syllacanonum cades geminata Pontificum &c.* Et in margine: *Al. Squillatinorum. al. Syllanorum. Et: Poly. l. 3. tit. 30. Ansel. l. 6. c. 148. Ivo p. 10. c. 18.*

7 *Distin. 15. cap. 2. Sicut sancti*. in eodem libro ita scriptum est: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola qua Iba dicitur, erroris plena reprobatur, in quo Theodorus personam &c. & in quo scripta quoque Theodoriti, per qua beati Cyrilli fides reprehenditur &c. Malè in casu uterque Theodorus dicitur.*

8 In Gregoriana editione cap. 69. cau. 11. q. 3. in-

scriptio & initium est: *Item ex libro undecimo ecclesiastica historia Rufini c. 18. Cum apud Thessalonicam seditione exorta &c.*

9 Eodem in libro cap. 49. *Postquam hostilis. 16. q. 1. inscriptio est: Idem (Gregorius) Ioanni Episcopo Veliterne lib. 2. epist. 35, Et post alia: gubernationemque Trium tabernensium Ecclesia providimus committendam &c. Et in margine: Ioannes Diaconus l. 3. c. 15. & 7. q. 1. Temporis qualitas. Ans. l. 5. c. 24. Poly. l. 1. ti. 9. Et in Notis: Trium tabernensium] In vulgatis legebatur Treverensium. Emendatum est ex aliquot vetustis & originali & Ioanne Diacono Nam, ut is testatur, hæc epistola scripta est Ioanni Episcopo Veliterno. Oppidum autem Trium tabernarum Velitris vicinum est.*

10 Nomina propria melius edita sunt in Gregoriana editione quam in ceteris. Erratum tamen est in his. Zozimus pro Zosimo, Melchiades pro Miltiade, Hostiensis pro Ostiensi, Calixtus pro Callisto, Iginus pro Hygino, Sixtus pro Xysto, Bracharenfis pro Bracarenfi, Zepherinus pro Zephyrino, Thelephorus pro Telephoro.

DE GRATIANI MAJORIBUS
erratis.

Dialogus sextus.

A. PERMITTITUR tibi B. in Gratianum dicere, sed ita ut singulis criminibus probationes adferas, nisi res probatione non indigeat. B. Conditionem accipio. Ea enim adferam quæ nemo negaverit. Et principio de Anastasio secundo videamus, quem ait ab Ecclesia Romana repudiatum & à Deo fuisse percussum, Hæc Gratianus di-

D iiij